



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 985. Quid præcipiatur vel prohebeatur duobus Capitulis hoc titulo  
contentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](#)

quod ad internam conjunctionem cum eo per gratiam, non tamen quod ad conjunctionem externam cum eo & toto Ecclesiae corpore, utpote cuius membra sacro, & sensibili seu extero aliquo signo in unum aliquid corpus colliguntur, & charactere per illud signum anima impreso jus ad cetera Sacra menta & bona Ecclesiae acquiruntur. Ita Wiestn. b. t. n. 5. cum Gonzal. in c. fin. b. t. n. 4. Non secundò, quod juxta cit. c. finale. Cum solo Baptismo flaminis recipi possint Sacra menta Matrimonii & Eucharistie. Nam tale matrimonium non est verum novae legis Sacramentum, sed contraactus merè civilis. Eucharistia etiam ante Baptismum fluminis licet & fluctuose suscipi nequeat ut ex Homilia S. Basili probat Wiestn. n. 6. Non tertio, quod dicatur Apostolos ordinatos à Christo Sacerdotes ante passionem in ultima cena, baptizatos vero post ejus resurrecti onem, dum dictum illis: *Euntes docete omnes gentes* Eccl. nam contrarium nimis baptizatos ante passionem probabilius longè & tantum non tanquam dogma fidei sentiunt cum S. August. in Joan. tr. 15. D. Th. in 4. diss. 3. q. 1. a. 5. Suar. Tom. 3. d. 19. S. concil. I. aliquie TT. passim, eo nisi fundamento, quod Joan. 3. v. 22. dicatur; *Venit IESUS & Discipuli ejus inter terram Iudaeam, & ibi demorabatur cum eis & baptizabat.* Et Joan. 4. v. 1. Eccl. 2. dicatur: *Quoniam IESUS non baptizaret, sed Discipuli ejus Eccl. utique non Baptismo Joannis sed Christi seu a Christo instituto, testantur vel ipso Joanne se baptizare in aqua, Christum autem in Spiritu Sancto & igne. Unde jam liquido infertur, Apostolos baptizantes jam prius baptizatos fuisse Baptismo fluminis.*

Resp. Ad tertium. Ad Sacra menta, quae ab oratione verè suscepito & consequenter à Baptismo fluminis dependent validè administranda necessarii est Baptismus fluminis in administrante. Hinc presbyter re ipsa non baptizatus, quantumcunque errore communī habeatur pro baptizato & vero Sacerdote invalidè absolvit & consecrat; cum enim valor horum actuum ex jure divino dependeat à valore Baptismi, hujus defectus propter errorē communem ab Ecclesia suppleri nequit, & ita do-

cent Abb. in c. Apostolicam. b. t. n. 1. Decius in c. fin. de constit. n. 64. Paludan. in 4. d. 17. q. 6. a. 1. Pith. b. t. n. 3. Wiestn. n. 10. Reiffenst. n. 2. Engels. n. 3. quidquid sit de eo, num, ut cum D. Th. sentiunt Sylv. V. Baptismus. 6. n. 3. Barb. in c. 2. b. t. n. 2. eosque secutus Reiffenst. n. 3. pie credendum sit, Christum suppleretur aliunde effectus, quos alii Sacra menta validè collata producerent in suscipientibus ritè dispositis, ad praecavenda magna pericula; quæ alij inde Ecclesiae imminerent. Quam tamen piam credulitatem vix reperiri fundatam in S. Scriptura aut SS. Canonibus cum Soto in 4. d. 24. q. 1. a. 4. §. ad tertium asserit. Wiestn. cit. n. 10. Econtra validè non tantum confertur Baptismus, utpote qui etiam à non baptizato conferri potest, sed etiam licet & assit matrimoniū parochus ob defectum Baptismi tantum putativus, ac consequenter re ipsa carens jurisdictione ad talēm assentientiam requisita; quin & ex commissione veri Parochi eidem assistere potest laicus, si ex communī astimatione & errore reputetur Sacerdos; et quod error communis ob utilitatem publicam supplet defectum potestatis jurisdictionis juxta L. Barbarius. ff. de off. Praetor. Eccl. can. infames. 3. q. 7.

Quest. 984. An & qualiter ad suscipiendos ordines prærequiratur in ordinando Sacra mentum Confirmationis?

R Esp. non requiritur ad valorem ordinis. Requiritur tamen de præcepto, ut constat ex Decreto Trid. Sess. 23. c. 4. de reformat. ita ut etiam prohibita sit suscepitio primæ tonsurae ante Confirmationem. De quo vide Azor. p. 2. L. 3. c. 48. Abb. & Barbol. in c. 1. 2. Eccl. 3. b. t. obligare hoc præceptum graviter censent Tanner. de Sacram. d. 4. q. 4. n. 88. Pontius de Sacram. Confirmat. c. 3. n. 6. apud Wiestn. b. t. n. 11. lecluso contemptu, scandalo & speciali necessitate, non obligare nisi venialiter sentiunt apud eundem Laym. L. 5. tr. 3. Castrop. tr. 20. d. unic. p. 8. n. 6. infine. Barbol. de off. Episc. alleg. 2. n. 15.

## TITULUS XLIV.

### De custodia Eucharistie, Chrismatis, & aliorum Sacra mentorum.

Quest. 984. quidnam præcipiatur vel prohibeatur duobus capitulis hoc titulo contentis.

I. R Esp. primò: Capitulo primo desumpto ex Concilio Generali Lateranensi præcipit Innocentius III. ut in cunctis Ecclesiis asservetur Chrisma, hoc est, oleum mixtum balsamo, benedictum ab Episcopo pro Sacramento Confirmationis, & oleum simplex benedictum pro conferendo Sacramento extremæ Unctionis. Item ut ob varios fines, quos recentur Wiestn. b. t. n. 2. & quorum aliqui olim in usu, modò sublati asservetur sub fideli custodia & clavis Sacerdotis (nimis qui istius Ecclesiaz curam habet) Eucharistia ne, ut dicitur ibidem, possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia

& nefaria (puta sacrilegia artes magicas superstitiones) exercenda, ita ut, siis ad quem spectet hæc custodia fuerit incensus & negligens, tribus mensibus suspendatur ab officio; & si ob ejus incuriam nefarium quid contingat, gravius (ad arbitrium judicis, cum hic non determinetur) puniatur. Unde pastor tenebitur ad omnia damna, quæ ex hæc jesus negligenta secuta resarcire. Abb. b. t. n. 2. Pith. n. 1. Circa quam asservationem notandum, debere ante Altare seu tabernaculum aliquo locum decentem, ubi Eucharistia deponitur, lampadem accensam diu noctuque pendere juxta generalē Ecclesiarum usum & quarundam etiam statuta Nav. de orat. c. 18. n. 67. Passerin. de off. curati. c. 12. n. 68.

2. Resp. secundò: Capitulo secundo b. t. ex eodem Concilio desumpto præcipitur, ut oratoria, vala,

vala , corporalia , pallæ Altaris & vestimenta sacra ministrorum munda & nitida conserventur . Prohibet insuper idem Pontifex ne suppellestilia profana tam Clericorum quam Laicorum in Eccle-

sis reponantur , nisi ob hostiles incursions aut incendia alias urgentes necessitates , quibus celsantibus , mox iterum inde referenda , ut Abb. hic n. 3.

## TITULUS XLV.

### De Reliquiis & veneratione Sanctorum.

*Quæst. 186. Quid sit Canonizatio Sanctorum, a quo facienda, & quæ ad eam legitime faciendam requirantur.*

1. **R**esp. ad primum : Sanctorum ( quo nomine vulgariter accepto veniunt , quotquot in gratia habituali existunt cum opinione aliorum de virtute & perfectione eorum singulari , propriè tamen ad præféri propostum non nisi illi qui publico Ecclesiæ iudicio relaci solenniter in Catalogum regnantium cum Christo in cœlis , cum declaratione , ut ab omnibus Christi fidelibus pro talibus habeantur . Ita ferè Fagn. in c. 1. b. t. n. 2. ) canonizatio est ipsa hac solennis & canonice facta per Pontificem relatio alicujus inter cœlites seu authoritativa definitio , aliquem existere in celis , & pro tali habendum cultuque publico ab omnibus Christi fidelibus venerandum . Ac proinde differt à beatificatione , quod in ea non præcipiatur & statuatur , sed solum permittatur à Pontifice , ut quis cultu aliquo per illum determinato v. g. celebrazione Missæ , recitatione officii divini , & quidem non à toto mundo Christiano , sed solum à certo v. g. regno , provincia , loco , religione , coli valeat ; quamvis ceteroquin pro beato & in celis existente haberi & credi debeat .

2. Resp. Ad secundum canonizare & beatificare solenniter solum est Papa . Gl. in c. unic. b. t. in 6. V. Sedis Apostolicae . Abb. inc. 1. b. t. ibidem . Innoc. n. 2. Fagn. n. 20. Barbos. n. 3. Azor. p. 2. L. §. c 6. q. 1. Pirk. h. t. n. 3. Reiffenst. n. 6. cum communi , ita ut nullus Episcopus etiam pro diœcesi nullum possit canonizare , nec Concilio generali independenter ab autoritate summi Pontificis competat ea potestas , ut Barbos. Pirk. Reiffenst. l. cit. Idque ob eam rationem desumptam ferè ex Host. in cit. c. 1. nimur , quod causæ majores ad Sedem Apostolicam referenda , ejusdemque examini & decisioni resolvendæ juxta c. 3. de Bapt. & c. 4. de off. legat. inter tales autem causas vel maxime sit canonizatio , utpote in qua agitur de miraculis dijudicandis & approbandis , deque manifestando sine periculo errandi ( cui alijs aliquorum Episcoporum simplicitas præbere poterat occasionem ) toti orbi alicujus sanctitatem , eumque proponendo publico cultui , & sic statuendo in rebus fidei . Quæ omnia superant potestatem Episcopi , Legati Apostolici & Concilii generalis . Quod verò autoritas Papæ circa hæc sit infallibilis docent Fagn. in c. venerabilis de testibus. à n. 10. Sylv. V. canonizatio. n. 2. Covar. var. resolut. l. 1. c. 10. n. 3. cum D. Th. quodlib. 9. a. fin. & communaliiorum contra Gl. in c. unic. b. t. in 6. V. Sedis Apostolicae . Addunt ibidem , quod , eti de fide non esset Papam errare non posse in canonizatione , illius tamen contrarium dicere esset temerarium , scan-

dalofum , hæresi proximum & candem sapiens . Quin imò hanc infallibilem esse de fide , docent ab solutè Castrop. tr. 4. d. 1. p. 5. §. 5. n. 2. & alii apud Fagn. l. c. de quo videndi Controversiæ . De cætero his non obstat , quod antiquitus canonizatio absque solennitate illa , qua hodie datum fit , censebatur fieri communis Episcoporum & populum consensu , approbatione Papæ & totius Ecclesiæ , habente vim tacita canonizationis , ut Bellarm. de Sanctorum beatitud. l. 1. c. 8. ut Laym. l. 4. nr. 7. c. 5. n. 1. quia & Episcopi poterant pro sua diœcesi canonizare aliquem , vel potius reddere testimoniū , non tamen infallibile de ejus sanctitate , eumque colim mandare , vel potius solum permittere ; cum hæc sublata modò sint legitima auctoritate ob rationes prædictas , & quia Episcopi non semper in hoc satis cautæ & providè se gererent , possent que hodie datum etiam esse sub obligatione credendi , quæ olim talia non erant .

3. Resp. Ad tertium : primò canonizatio , vel etiam beatificatio , ut legitimè fiat , duo copulativè requiruntur , ita ut unum sine altero non sufficiat , nimur primò , ut constet de canonizandi excellentiæ vita sanctimonia ac virtutum magnarum exemplis . Fagn. in c. s. b. t. n. 1. Innoc. n. 1. Jo-and. n. 4. Anchor. n. 5. cum communi & constat ex Bulla Greg. IX. edita pro canonizatio S. Antonii de Padua. 1232. 1. Jun. incipiente : cum dicat Dominus in Bullar. 4. busus Pontificis const. Illa verò vita excellens probitas , eti præcipuum sit , ob quod quis dignus veneratione & cultu solaque sufficiat , ut quis sanctus Deoque acceptus sit , non tamen sufficit ad hoc , ut quis sanctus habeatur , & ut talis proponatur hominibus in Ecclesia militante , sed requiritur insuper ut accedat testimonium seu indicium , unde elucescat illa meritorum canonizandi apud DEUM excellentia , quale esse censuit & voluit Ecclesia miracula superantia vires naturæ ab eo edita , non tantum in vita , sed & post mortem ad ejus intercessionem facta à DEO juxta c. venerabilis. § 2. de testibus . Eti nee ea sola sufficiant ad canonizandum , cum etiam patruntur à reprobis & peccatoribus , ut constat ex c. teneamus 1. q. 1. & ibidem . Gl. V. magi. luculentor demonstrat exemplo magorum Pharaonis . Iuda aliorumque qui olim in judicio dicti : nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus , & docet D. Th. 2. 2. q. 17. a. 1. de miraculis parrandis ab Anti-Christo .

4. Resp. ad tertium secundò : ut omnis locus & via precludatur deceptioni & erroris circa verumque requiritum , nimur vitam , mores , virtutes , & miracula canonizandi necesse est fieri exactissimam , strictissimam , cautissimamque inquisitionem , de cuius instituendæ praxi & ceremoniis integrum Tomum exactè conscriptis Matha de canonizatione SS. ad quem remittitur Lector . Non solet regulariter hæc inquisitio seu tracta-